

moderationem dixeris, latinitatis haud offendes puritatem :  
nec ineptam cum conjunctis vocabulis efficies conspirationem.  
Utrumq; à verbo moderari descendere notū latinæ linguæ scru-  
tatoribus. Moderari verò negotia is dicitur, qui modum & nor-  
mā agendi eidem præscribit. Sic de defensionis participaturum  
privilegiis modum legali dispositione præscriptum servare o-  
portet. Posteriora duo vocabula prioris sunt restrictiva. Defen-  
sio cum totam dimicationis privatæ absolvat licentiam , & illius  
hīc servanda moderatio. Nec errantem & vagam hunc actum  
admittere tutelam demonstrarunt Legumlatores. Dirigenda  
potius ea juxta modum legum sanctione præfinitum. Unde hoc  
ipsō observatō præcisè inculpata ea , i. e. ab omni remota culpa  
reputanda. Neque enim ullō laborare potest vitiō, quod legum  
nititur munimine.

II. Germanorum dialectus sonō, non reipsā à Latino-  
rum discrepat elegantiis. Dicitur illis nervosè satis eine rechte  
Notwehre. Penitus intrinsecam actus nostri exprimunt Ger-  
mani formam , defensionem necessitatem habere debere comi-  
tem ostendentes emphaticè. Digna notatu verba , quibus Ca-  
rolus V. in ord. crimin. art. 140. usus : So einer jemand mit einen  
tödlichen Waffen oder Wehr überläuft / ansicht oder schlägt / und der  
Bendigte kan füglichen ohne Fährlichkeit oder Verletzung seines Le-  
bes / Lebens / Ehr und guten Leumuths nicht entweichen / der mag sein  
Leib und Leben ohne alle Straff durch eine rechte Gegenwehr retten/  
und so er also den Bendigten entleibet / ist er darumb nicht schuldig.  
Verba hæc clara satis ; scrupulosius interim inquirentis haud  
satisfaciunt desiderio. Generaliter concepta specialiorem po-  
scunt explanationem. Confiteor , quamplurima in jure nostro  
æquò Judicis decidenda arbitriō, l. i. π. de jur. delib. Infinita ca-  
suum diversitas circumstantiarum supponit varietatem. Et hæc  
multiformium existit causa decisionum. Multigera actionum  
humanarum singularitas legum generalium naturā exauriri  
nequit. Supplendus ideo defectus emergens auxiliatrice æqui ju-  
dicis decernendi justè prudentiā. Eadem difficultas & in præ-  
sentis nostræ materiæ campō prognosci videtur. Horrendum  
**homicidii crimen** nè impunitum facile relinquatur , rei interest  
publi-